

2. A. 1. 8. 10. esty 1. inferior - - - vel superior e

5070

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO INAUGURALIS,

DE

# JURISDICTIONE ALTA ET BASSA,

QVAM

MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE,

REVERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO,

DOMINO

## JO. JOACHIMO HAHN,

EPISCOPO METELLOPOLITANO,

Eminentissimi Archi-Episcopi & Principis Electoris Moguntini per Thuringiam, Hassiam & Eichsfeldiam in Pontificalibus Vicario Generali, Ejusdemque Archi-Episcopalis Curiae Pro-Vicario Generali, SS. Theologiae & Juris Vtriusque Doctore, Protonotario Apostolico, Comite Palatino, Insignium Ecclesiarum Collegiatarum ad Gradus B. M. V. & ad S. Joannem Moguntiae respective Scholastico, Canonico Capitulari, & reliqv.

EX DECRETO

MAGNIFICI FACTORUM ORDINIS  
PRO LICENTIA

SUMMOS CAPESSENDI IN UTROQ. JURE HONORES  
NEC NON PRIVILEGIA DOCTORALIA

AD DIEM XXIV. OCTOBRIS MDCCXXII.

PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

## FRIDERICUS WILHELMUS VOLLRATH,

Advoc. Aulae Goth. & Consul Ohrdruf.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS H. C.

---

ERFORDIAE, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr


Diss. jur. civ.

295,6

Faint mirrored text from the reverse side of the page, including the word "STADT" and "DRESDEN".

Middle section of faint mirrored text, including words like "KUNST", "LITERATUR", and "WISSENSCHAFT".

Faint mirrored text at the bottom of the page, possibly a signature or date.



*J. J.*

Thef. I.



Dvocatus quilibet merito jurisdi-  
ctionis materiam debet cognitam  
habere ac perspectam: Nisi enim  
hanc probe noverit, clientes ipsius  
in multa damna incurrunt, pluri-  
masque frustra faciunt expensas.  
Quod si enim v. g. Judex jurisdi-  
ctionem non habeat, quam sibi arrogat, aut adfit infe-  
rior aliquis Magistratus, coram quo reus conveniri  
debet, actor intentionem suam male fundavit, & im-  
pune non paretur ei, qui extra territorium jus dicit,  
aut jurisdictionem suam excedit *L. fin. C. de Jurisd.*  
*Omn. Jud.* Tantaque est nullitas ex defectu Jurisdi-  
ctionis orta, ut processus sit plane nullus, & ipsa sen-  
tentia definitiva vana & frivola. JACOB. AYRER  
*Proc. Jur. histor. c. 1. obs. 2. n. 19.* Ideoque, cum pro lau-

A 2

da-

dabili more in Academiis recepto, dissertatio inaugu-  
ralis publicæ eruditorum disquisitioni subjicienda es-  
set, placuit eligere Thema maxime in foro necessa-  
rium de Jurisdictione alta & bassa, idque Thesis ex-  
temporaneis pro temporis angusti ratione strictim  
pertractare.

Thes. II.

Quod attinet ad vocabuli *Jurisdictionis* derivatio-  
nem, in ea non conveniunt juris interpretes. AZO  
cum multis illi adstipulantibus, vocem hanc à jure &  
ditione derivavit, eo quod summa potestas vocetur  
ditio Juris; At, si vera esset hac derivatio, non lege-  
retur Jurisdictio, sed jurisditio, quæ tamen vox nul-  
libi apparet. Præterea ditio significat potestatem do-  
minandi in personas, vel privatam, quam domini ha-  
bent in servos *L. 2. C. de Libert. & eor. lib.* vel publi-  
cam, qua imperator gaudet in populum Romanum,  
vel alius princeps in suos subditos §. 2. *proæm. J.* Sed  
Jurisdictio significat Jus reddendi & decernendi in  
negotiis civilibus & criminalibus potestatem, non jus  
dominandi in personas. HELFRIC. HUNN. *de Juris-*  
*dict. p. 1. c. 1. qu. 1.* Rectius ergo nomen Jurisdictionis  
à jure & dicendo derivatur: Tum, qui jurisdictio-  
nem habet, & exercet, dicitur jus dicens, *L. 1. ff. de*  
*Jurisdict.* Item jus dicere *L. 10. ff. de Offic. pro Cons. L.*  
*10. L. 14. L. 18. & L. ult. ff. de Jurisdict. L. 1. §. an au-*  
*tem ff. de suspect. Tut.* Tum, quia mandata Jurisdi-  
ctione, dicitur totum officium jus dicentis transire in  
*d. L. 1. §. an autem ff. de suspect. Tut.* BERNHARD.  
SUTHOLT *Aphor. 102. disput. de Jurisdict.* accurate  
in

in hujus appellationis originationem inquiri, atque ex SIGONIO *Lib. 1. c. 7. de Judic.* docet, quod quemadmodum *lege agere* dicti sunt, qui jus suum, quod legibus aut edictis de singulis controversiis scriptum erat, in Jure persequerentur, ita & eos, qui jura reddebant postulantes, dictos esse *jus dicere*, & facultatem jus reddendi jurisdictionem, quemadmodum potestas jus suum persequendi legis actio vocabatur.

Thes. III.

Jurisdictionis vocabulum latinum tam in ff. responsis quam in constitutionibus principum, Græci semper *δικαιοδοσία* verbo expresserunt. Patet hoc ex Tit. LVII. βασιλικῶν περὶ δικαστῶν καὶ δικαιοδοσίας *de judicibus & jurisdictionibus* ac Tit. 3. l. 1. c. 1. ejusd. Lib. ὁ ἔχων δικαιοδοσίαν καὶ δικαλοχὴν δίδωσι, καὶ εἰς νόμον πέμπει, καὶ ἐπιτρόπος καὶ δικαστὴς δίδωσιν. *ex L. 1. de Jurisdictione*, qui habet jurisdictionem, & bonorum dat possessionem, & in possessionem mittit, & tutores atque judices dat. Germani vocabulo, quo proprie Juris reddendi facultas exprimitur, carent, & communi ac forensi vocabulo *Gerichte* utuntur, quod proprie significat iudicium. Accipitur tamen per Metonymiam effectus pro ipsa causa & facultate juris reddendi, tam in privatis & pecuniariis quam capitalibus causis. Itali latino vocabulo *Giurisdictione* utuntur, Galli vero *Justice* vocant, justitiam ceu finem jurisdictionis respicientes TOBIAS PAURMEISTER *de jurisdic. Imperii Rom. L. 1. C. 1.*

Thes. IV.

Vocabulum vero jurisdictionis diversas habet in jure significationes. Sumitur enim vox Jurisdictionis

(1) per synecdochen Partis pro toto, pro summa principis potestate MATTH. STEPHAN. *L. 1. de Jurisdic. l. 1. n. 13.* (2) pro juris statuendi facultate §. 1. *J. de Oblig. §. 3. J. de Action. l. 5. pr. ff. de V. Oblig. L. 2. §. 10. de O. J.* (3) pro Edicto prætoris *L. 7. b. l. l. 5. §. 2. ut legat. serv. caus. cav. l. 2. C. de Condit. incert.* (4) pro jure civili ut *in l. 88. ff. de solut. §. 1. J. de fideicommiss. heredit. l. 2. fam. herisc. L. 23. C. ad SCst. Vellej.* (5) pro ipso jurisdictionis exercitio *l. 11. de in jus voc.* (6) pro ipsa sententia per metonymiam effectus pro causa *in l. un. §. 1. Si quis jus dicenti non obtemp. ibi: extremum in jurisdictione non fecit §. 7. J. de divis. stipulat.* (7) pro jurisdictionis objecto, personis, causis, rebus, territorio, ut *in l. fin. ff. b. l. l. 18. C. eodem l. 5. de Jud. l. 33. de re judicat.* (8) pro iis, quæ alicui specialiter i. e. lege, senatus Consulto vel Constitutione principis tribuuntur, quamvis jurisdictionis non sint. SUTHOLT de jurisdic. Aph. 31. *per L. 6. §. 2. de Tut.* tamen quandoque secundum jurisdictionem fieri dicuntur §. 4. *de Attil. tut.* PETR. MULLER ad STRUVII Synt. J. C. *Exerc. 4. §. 48.* Alias adhuc significaciones adducit. PAURMEISTER *l. c. l. 1. c. 1. Thes. V.*

Si unquam verum fuit, quot capita tot etiam sensus esse, profecto hujus proverbii veritatem deprehendes, si Jctos jurisdictiones definientes audias. BALDUS de ULBALDIS *in C. ad hoc n. 4. de Allod. L. notionem 99. de verb. signif. L. 5. L. 57. de Judic.* ita inquit: Jurisdictio prout est in sua substantia, quæ habitus vocatur, est potestas plectendi, decernendi,  
&

& jus dicendi, jure publico propter bonum publicum  
 introductum principaliter; secundario vero ob bonum  
 privatum: prout autem inest magistratui, est re-  
 gentis magistratus officium, quod in actu habi-  
 tuque consistit. Sed satis jejuna & frigida est hæc  
 definitio. Male enim jurisdictio à BALDO vocatur ha-  
 bitus, cum per plures actus non acquiratur. Nec quod  
 jure publico introducta sit jurisdictio, quod secunda-  
 rio ad privatorum tendat utilitatem, multum ad de-  
 finitionem faciunt. Neque recte dicitur potestas ple-  
 ctendi, item magistratus regentis officium: non so-  
 lum, quod potestas coercendi sit ipsum mixtum impe-  
 rium, quod ut mera qualitas inest jurisdictioni, non  
 ut species, sed etiam, quod aliud sit officium regentis  
 magistratus, seu jus dicentis, aliud vero ejusdem  
 Jurisdictio, *Arg. L. 1. h. t. HAHN ad WESENBECK.*  
*de juridict. n. 3.* ACCURSIUS celebris illæ glossæ  
 compilator & architectus hanc nobis suppeditat de-  
 finitionem: quod sit potestas de publico introducta  
 cum necessitate juris dicendi & æquitatis statuendæ  
*l. 1. C. de Jurisdic. omn. Jud.* sed superfluum est, quod  
 non tantum juris dicendi sed etiam æquitatis statuen-  
 dæ potestatem vocat jurisdictionem, quasi vero jus  
 & æquitas essent diversæ res. Jus enim est ipsa æqui-  
 tas, sine qua tanquam forma subsistere nullo modo  
 potest: sic ULPIANUS JCtus celeberrimus jurispru-  
 dentiam definit boni & æqui notitiam, justii & injusti  
 scientiam *l. 1. ff. de justit. & jure innuens, omne jus de-*  
*bere esse æquum, alias non posse dici jus.* Idem  
 MARCO TULLIO CICERONI visum est, dum in  
 ora-

ora-

oratione pro Publ. Quint. Quis tandem, inquit, nobis jura aut æqua describit, quis hoc statuit, quod æquum sit in Quintum, id iniquum esse in NÆVIUM. Obstare equidem videtur *l. placuit 8. C. de jud.* quæ ceu fulcrum & fundamentum definitionis ACCURSII considerari potest. Verum enim vero verba adducta Legis placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ æquitatisque quam stricti juris rationem, non id volunt, ac si ei, qui jurisdictioni præest, liceat vel secundum juris tenorem, vel secundum æquitatem ex suo cerebro controversias dijudicare, id quod repugnat *l. 2. ff. de leg.* Verum ita intelligenda sunt, ut leges non durè sed benigne explicentur, nisi aliud lex diserte jubeat, tunc enim & si lex dura sit, tamen ita scripta est, *l. prospexit 12. §. 1. ff. qui & a quibus manum.* Missis aliorum definitionibus, quas data opera collegit PAURMEISTER *l. c. lib. 1. C. 10.* cum SUTHOLTO, *l. alleg. aph. 174.* jurisdictionem definit, quod sit potestas de civilibus & privatis causis jus reddendi, jure magistratus competens.

Thes. VI.

Jurisdictionem dixi *potestatem*, quam vocem alias homonymam *l. potestatis ff. de V. signif.* ego usurpo pro facultate legitima, seu pro Jure, sicut usus fructus, iter, actus, actio & id genus plura dicuntur jus, id est facultas jure concessa. Additur *de civilibus & privatis causis*, ut excludantur ea, quæ princeps sibi & reservavit, & majestatem summam concernunt, tum etiam criminalia: Siquidam cognitio de criminalibus, neque magistratus jure competebat, uti ostendit

FRANZ.



FRANZKIUS *Comment. ad ff. h. l. n. 22.* neque sub jurisdictione olim comprehendebantur criminalia. Denique additur *jure magistratus competens*, ex hac ratione, ut doceatur, ne civiles quidem causas omnes ad jurisdictionem pertinere, sed eas tantum, quæ competunt jure magistratus citra specialem concessionem, *l. 1. de Off. ejus, cui mandat. est jurisdic.* id est, in quantum, seu quatenus quis est magistratus.

Thes. VII.

Tò vero *in quantum*, seu *quatenus* duplici modo usurpatur a Philosophis, *reduplicative* scilicet & *specificative*. Reduplicative, quando illud, quod sequitur immediate reduplicationem, notatur esse causa formalis & præcisa inhærentiæ prædicati ad subjectum. Specificative contra sumitur, quando illud, quod sequitur immediate reduplicationem, accipitur tantum secundum suam rationem formalem, sine præcisione causalitatis inhærentiæ ad subjectum. Sic jurisdictio competit magistratui, in quantum est magistratus voce in quantum reduplicative sumta. Id est Magistratui competit jurisdictio ex hac ratione præcisa formali, quia est magistratus. Hinc non est magistratus, qui non habet jurisdictionem. Quod si vox in quantum sumeretur specificative, id solum affirmaretur, magistratum habere jurisdictionem. Nequaquam vero ex eo colligere liceret, non habere aliquem jurisdictionem, nisi sit magistratus. Ut rem aliis exemplis illustrem, recte dicitur, prætorem, in quantum prætor est, posse tutorem dare: item furiosum, in quantum furiosus est, arceri à testamenti factione, particula in quantum specificative

B

tive

tive sumta. Nequidem dupondius tamen exinde inferet, neminem posse tutorem dare, nisi sit prætor, vel omnem cui testamenti factio interdicta est, esse furiosum.

Thes. VIII.

Fluit inde pronò, quod ajunt, alveo, summam majestatem apud Romanos, sive is fuerit totus populus sive imperator, non habuisse jurisdictionem proprie dictam, quia non fuit magistratus. Magistratus enim est summæ potestatis instrumentum, nemo autem, cui sanum sinciput est, dixerit, esse aliquem sui ipsius instrumentum. Nec me movet illud vulgatum, quod quis ipse non habet, nec in alium transferre potest, hoc enim limitationem patitur. Et postquam summa majestas magistratibus jurisdictionem dedit, jurisdictio *formaliter* tributa est magistratui, *fundamentaliter* vero, *radicaliter* & *virtualiter* mansit penes supremam majestatem.

Thes. IX.

Negari tamen nequit, Imperatores ipsos jus de civilibus subditorum causis etiam pro tribunali dixisse, postulationibus vacasse, cognitionibus præfuisse, sententiam pronunciasse *l. ult. princ. C. de leg. l. 3. de his quæ in test del.* unde factum est, ut decreta principum inter species constitutionum relata sint *l. 1. §. 1. de constit. Princ. §. 6. J. de jure nat. gent.* Tantum tamen abest, ut imperatores de omnibus privatorum civilibus causis promiscue jus dixerint, ut potius paucas imperiali cognitione dignas æstimaverint. Ideoq; judicia quæ principes ipsi exercuerunt, *cognitiones* appellata & jurisdictioni opposita sunt. Hoc testatur SÜETONIUS in  
*Claud.*

*Claud. c. 15. inquit alium interpellatum ab adversariis de propria lite negantemque cognitionis rem, sed ordinarii juris esse, agere causam confestim apud se coegit. confertur idem SÜETONIUS in Ner. c. 14. & fin. in Tiber. c. 32. Præterea in re ipsa maxima fuit differentia. Nam magistratus secundum leges latas privatorum lites dirimebat, quod jurisdictionis proprie erat, sententia vero principis in omnibus similibus causis instar legis valebat. l. ult. C. de legib. ut adeo in decernendo non tam jurisdictionem exercere, quam legem condere videretur.*

Thef. X.

Ut plenius intelligatur jurisdictionis definitio supra data, subjicienda nunc est definitio *Magistratus*. Meam hic facio CUJACII definitionem l. parat. ff. de orig. juris ubi eum ita definit: *Magistratus est publica persona, quæ jurisdictioni præest.* Probe vero notandum est, vocabulum magistratus esse analogum. Competit enim definitio magistratus speciebus inæqualiter, urbanis scilicet & ordinariis magistratibus formaliter & primario, reliquis vero secundario; Species magistratus ex SIGONIO, PANCIROLLO, LAZIO, ROSINO curiose recenset SUTHOLT. d. l. aph. 211. seqq.

Thef. XI.

Hæc jurisdictio adeo necessaria est, ut sine illa respublica consistere nequeat. Sublata enim jurisdictione quis finiret lites, quis redderet cuique suum? Jurisdictionis finis & scopus est, ut alatur pax l. congr. 13. ff. de Off. præf. l. 2. cum seq. l. de ped. Jud. & religio conservetur l. 4. C. de summa Trin.

Thes. XII.

Quamvis vero jurisdictio stricte ac in sensu Juris Romani accepta tantum pro objecto habeat causas civiles; in sensu autem latiori sumpta, omnem magistratus potestatem complectitur, & ad causas quoque criminales extenditur.

Thes. XIII.

Mitto nunc varias jurisdictionis divisiones, & tantum excutiendam mihi sumo istam divisionem, qua hodie secularis dispescitur in *altam* seu superiorem & *bassam* seu inferiorem. *Alta* jurisdictio est ipsa criminalis. Ac recte juris interpretes jurisdictionem generaliter acceptam in civilem & criminalem describunt. Rationibus enim & textibus juris doceri posse, aliquibus videtur, causarum quoque criminalium dari jurisdictionem. Hoc testatur POMPONIUS *L. 2. §. 1. quia ff. de orig. juris*, ubi scribit: *de capite civis Romani non erat permixtum consulibus jus dicere*; consentit PAPINIANUS in *l. 1. ff. de offic. ej. cui mand.* dum ait: magistratus errare, qui cum publici judicii habent exercitium, jurisdictionem suam mandent. Si enim Magistratus non haberet jurisdictionem in criminalibus, nec eam mandare posset. Nec obstat, quod prætor universam suam jurisdictionem mandare posse dicitur. *l. solet prætor cum l. seq. ff. de Jurisdictione*: cognitionem vero de criminalibus mandare non potuerit *l. 6. & l. 11. ff. de offic. pro consul.* ac proinde cognitio de criminibus ad jurisdictionem male referatur. Nam cum prætori tribuitur universa jurisdictio non in latiori sed stricta significatione accipitur jurisdictio, quia præ-

prætor urbanus hanc tantum habuit. HUNN. *d. l. prol.*  
*q. 2. contrariam sententiam defendit SUTHOLT aph.*  
*115. seqq.*

Thes. XIV.

Jurisdictio criminalis ita quoque comparata est,  
 ut omnino in republica christiana locum habere de-  
 beat. Salus namque & conservatio reipublicæ postu-  
 lat, cum perditis & improbi homines maxima scelera  
 & crimina patrent, aliquando supplicia capitalia exer-  
 ceri. Accedit, quod DEUS ipse supplicia quædam  
 capitalia *Gen. IX. 6. Num. XXV. 31. 33.* sanciverit. Et  
 Paulus gentium Apostolus expresse dicit *Rom. XIII. 4.*  
 Magistratui gladium datum esse, quem non frustra  
 gerat. Nam DEL. inquit, minister est, vindex ad i-  
 ram ei, qui malum fecerit. Licet quidam inter Chri-  
 stianos veteres supplicia capitalia improbaverint, ac  
 religioni sibi duxerint, iis interesse, tantum abest, ut  
 ipsi ea exercuerint. Videatur ATHENAGORAS *le-*  
*gat. pro Christian. p. 28.* TERTULLIANUS *de spect. e.*  
*16.* LACTANT. *instit. div. lib. V.* aliique. Nostra æta-  
 te personatus quidam CLEMENS JUSTINIANUS  
 vir cætera doctissimus in peculiari libello lingua no-  
 stra vernacula de hoc argumento conscripto, voluit  
 ostendere, etiam alia ratione securitati reipublicæ  
 quam capitis pœna consuli posse. Sed tanta est pro-  
 fligatorum hominum malitia, ut sine suppliciis capi-  
 talibus externa securitas frustra speretur. Ac cum per  
 supplicia capitalia hominum vix reprimatur extrema  
 malitia, quid non tentarent ejusmodi suppliciis sub-

B 3

latis

latis; Notum alias est, Anabaptistas supplicia capitalia  
 è re publica Christiana proscribere & damnare.

Thes. XV.

Nonnulli Imperium merum jurisdictionis late  
 acceptæ speciem constituunt, adeoque merum impe-  
 rium cum jurisdictione criminali confundunt, quales  
 sunt SCIPIO Gentilis *lib. 1. c. 2. de Jurisdic.* STE-  
 PHANI *de Jurisd. l. 1. c. 3. n. 4. & seqq.* HENRIC. BO-  
 CERUS *de Jurisdic. C. 1. c. 2. n. 5. & seqq.* aliique. U-  
 num alterumque argumentum, quibus hoc probatum  
 eunt, in medium adferre, & in ejus robur ac vim in-  
 quirere, ab instituto meo non erit alienum. Urgent  
 primum, merum Imperium consistere in animadver-  
 tendo in facinorosos homines *l. 3. ff. de jurisdic.* a-  
 nimadvertere autem in homines facinorosos esse jus  
 dicere de capite hominis facinorosi *l. 2. §. ex actis 16.*  
*junct. §. Et quia 23. de origin. Juris.* Putantque merum  
 imperium esse jurisdictionis, cum jus dicere & juris-  
 dictio sint conjugata. Porro, quia sub titulo *ff. & C.*  
*de jurisdictione*, agitur simul de mero imperio, illi-  
 co sibi persuadent, merum imperium esse speciem ju-  
 risdictionis. Sic cum de capitali animadversione oc-  
 currit textus in *l. criminalis. C. de jurisdic.* ex tituli  
 rubrica confidenter inferunt, capitalem animadver-  
 sionem esse jurisdictionis, & per consequens merum  
 Imperium esse speciem jurisdictionis late acceptæ. De-  
 nique dicunt, qui criminis reum accusat, eum exer-  
 cere merum imperium *d. l. 3. ff. de Jurisdic.* : Eum  
 autem jurisdictionem exequi extra dubium, qui cri-  
 minis reum condemnat, cum publici judicii exercitium  
 quod

quod iurisdictionis est *l. 1. pr. & ult. ff. de offic. eius &c.* comprehendat quoque rei condemnationem & ab-  
 lutionem *l. solent ff. de offic. proconsul.* Igitur merum  
 imperium esse iurisdictionis. Sed facilis est respon-  
 sio. Primum enim argumentum a natura coniuga-  
 torum seu notationis desumptum parum habet momen-  
 ti. Secundum argumentum a rubro ad nigrum seu  
 leges eo titulo contentas, eiusdem generis & farinae  
 est. Frequentissime enim plus continet nigrum quam  
 promittit rubrum, & rubrica saepius de eo tantum  
 concipitur, quod primario & ex professo in nigro  
 tractatur. Quod vel exinde quoque patet, quod *in l.*  
*1. ff. de iurisdic. agitur* quoque de iis, quae neque im-  
 perii neque iurisdictionis sunt, ut de tutoris datione  
*l. 6. ff. de tut.* Videatur RICCIUS *de libr. jur. quant. &*  
*qual. p. 5. seqq.* ubi fuse agit de argumentis a rubri-  
 ca deductis. Ad ultimum respondetur, condemnare  
 reum criminis non esse imperii meri, sed iurisdictionis  
 criminalis. Sicut enim condemnare & absolve-  
 re reum in civili causa iurisdictionis est, non impe-  
 rii mixti: ita quoque reum in causa criminali con-  
 demnare vel absolvere est iurisdictionis, non imperii  
 meri. Porro si cognitio iurisdictionis est, condemna-  
 tio vel absolutio iurisdictionis quoque erit. Dein-  
 de merum imperium non exercet, qui reum conde-  
 mnat, sed qui in facinorosum animadvertit. Ac qui con-  
 demnat, nondum gladio in eum animadvertit, sed tum-  
 demum, quando condemnationem seu sententiam in  
 effectum & executionem deduci curat. Ut alias ra-  
 tiones taceam, quas vide sis apud HUNNIUM *l. c.*

q. 3. Imo negari nequit, dari hodie criminalem iurisdictionem absque annexo mero imperio, sive potestate gladii ad animadvertendum in facinorosos, quod meri imperii proprium est *l. 3. ff. h. t.* Testatur enim SAMUEL STRYKIUS *us. mod. ff. h. t. th. 10.* quibusdam magistratibus competere facultatem persequendi & capiendi delinquentes, processum inquisitionis formandi & acta transmittendi pro ferenda sententia criminali, quodsi vero capitis supplicium dictatum sit, executionem relinqui cuidam vicino. Ac reperiuntur aliqui Nobiles, qui licet iurisdictionem criminalem habeant, loco executionis criminalis, praesertim patibulo, destituuntur.

Thes. XVI.

Alta seu superior iurisdictione variis nominibus insignitur apud Germanos, quidam eam appellant die Hohen- oder Ober-Gerichte, Peinliche Gerichte, Gerichte über Haut und Haar, Blutbann, Voigtey über Malefiz. In Franconia, Palatinatu & vicinis locis vocatur das Zentgericht, uti in Bavaria & locis circumjacentibus die hohe Fraiß, &c. Videatur WEHNER *Obs. pract. voc. Zent* & BESOLDUS *Thesaur. Pract. dictis vocibus.* Centena solet iterum distingui in uniuersalem & particularem. Uniuersalis, die sämmtliche und allgemeine Zent, est, cum quis habet omnium etiam leviorum delictorum animadversionem & coercionem indistincte; in Dorff, Strassen und Felde, so weit sich der Zentbare Boden erstrecket. Particularis contra centena est, cum quis in alieno territorio certorum criminum coercionem,

nem,



nem, pacto, consuetudine vel præscriptione quæsitam possidet, quo referuntur quatuor delicta graviora, Brand, Mord, Raub und Diebstahl. Alii tamen fur- tum & rapinam pro synonymis habent, & quarto lo- co addunt stuprum violentum die Nothzucht. Et hanc quidem centenam vocant die Franß-Cent. JUST. GE- ORG SCHOTEL. de singulis quibusdam & antiquis in Germania juribus & observatis *cap. 7.* Ille tamen qui particularem centenam in alterius territorio ha- bet, neque illius neque alterius jurisdictionis intuitu illud insalutato domino introire potest. KNICHEN *de jure territ. n. 408.*

Thef. XVII.

Jurisdictio alta definiri potest, quod sit *potestas de causis criminalibus, id est criminibus publicis & privatis si sc. in his criminaliter ad vindictam publicam agatur.* BE- SOLD *de jurisdict. imp. qu. 21. p. 63. cognoscendi & deli- cta hæc puniendi.* Jurisdictio hæc criminalis ipso die executionis non sine solennitatibus & ceremoniis exer- cetur. Solet enim post pronunciationem sententiæ baculus frangi & mensa everti. Halæ & alibi loco- rum judicium criminale exercetur, wird das hoch- noth-peinliche Hals-Gericht geheget, penes statuam Rolandinam. Solennia judicii criminalis Halæ usita- ta enarrat JAC. FRID. LUDOVICI *in not. ad constit. crim. Car. V. ad art. 94. edit. secund.* Extra hoc id non satis expeditum videtur, quod plurima in his con- suetudinario jure sint introducta.

Thef. XVIII.

Cum mentionem fecerim statuæ Rolandinæ, con-  
 futan-

futanda est illorum sententia, qui censent, dictam statuam esse signum singularium privilegiorum ab imperatoribus clementissime concessorum & jurisdictionis criminalis, uti refert LEUBBER. *in disq. plan. statul. saxon. n. 1256 seqq.* Ac illorum quidem πρωτων ψευδων in eo consistit, quod sibi persuadeant, Colossos illos erectos esse à Carolo M. in memoriam Rolandi ex sorore sua Bertha nepotis, & sicut Carolus magnus sit fundator & donator privilegiorum, ita statuam Rolandinam esse publicum testimonium illorum privilegiorum imperialium. Sed nullus historicus probatæ fidei unquam Rolandi cujusdam meminit, PFEFFINGEN *ad vitriar. L. 1. tit. 18. thes. 15. l. c.* Alii putant vocem Ruland (Rug-Land) esse compositam ex rugen, id est accusare, denunciare, & terminatione germanica, quæ etiam est in vocabulo germanico Heyland, JUST. GEORG SCHOTEL *l. 9. §. 9. & 10.* Quæcunque hujus vocis sit derivatio, nunquam demonstrabitur, imperatores ejusmodi statuas in hunc finem erigendas curasse, ut testentur de jurisdictione criminali, aliisque privilegiis. Neostadii in diœcesi Coloniensi pluribusque locis, in Marchia præsertim, hæ statuæ adhuc hodie in foris vel sub dio vel ædificiis inclusæ, reperiuntur, quæ tamen urbes nunquam jurisdictionem criminalem vel alia privilegia sibi arrogarunt. Si Hamburgenses quoque credidissent, Rolandum illum esse jurisdictionis criminalis aliorumque privilegiorum, quæ urbibus imperialibus competunt, signum: nunquam profecto hanc statuam sustulissent ipsi, aut sibi eam auferri libenter permisissent. LIMNÆUS

MNÆUS L 7. *Jur. publ. c. 23. n. 6.* MARTINUS ZEIL-  
LERUS *in itin. germ. c. 17. n. 5. pag. 365.*

Thef. XIX.

*Inferior* jurisdictio seu *bassa*, uti loquuntur Itali ANTON. URSELL. *in addit. ad MATTHÆI de offic. decis. 22. num. 8. est potestas de causis civilibus, pecuniariis & delictis levioribus cognoscendi & hac coercendi, ad civiles pertinent causæ pecuniariæ, was Gulden und Schulden, fahrende, bewegliche und unbewegliche Güther anbetrifft, etsi excedunt magnam pecuniæ summam COLER. de proc. exec. p. 2. c. 1. n. 105. seqq. SPEKHAN. cent. 1. qu. 90. n. 6. delicta vero leviora sunt, die Scheltworte, braun- oder blauschlagen, kraßen, stossen, Blutrungig machen, Messer zucken, Haar rauffen, & omnia alia facta duriora, quæ sine sanguinis effusione fiunt. COLER. d. l. HAHN ad WESENBEC. de jurisdictione n. 8. Quæ delicta ad altam jurisdictionem, quæque vero ad bassam referenda sint, ex consuetudine loci addisci debet, nam quid horum nomine veniat, id non tam desumi debet ex jure Romano, quam ex usu cujusque reipublicæ. CARPZ. *prax. crim. qu. 109. n. 31.* Jure tamen civili ad jurisdictionem altam sive superiorem pertinet jus animadvertendi in facinorosos sine distinctione quale quantumque fuerit delictum l. 3. §. *merum est imp. ff. de Jurisdic.* Inferior hæc jurisdictio Germanis vocatur die Untergerichte, Erbgerichte Voigden. Non vero intelligitur Vogteja superior, quæ in paucis differt à superioritate territoriali, sed inferior, quæ quandoque vocatur die Nieder-  
Voigden.*

C 2

Thef.

CARPZOV. *d. l. qu. 109. n. 16.* dicit: jurisdictionem bassam non tantum comprehendere ea, quæ simplicis jurisdictionis, sed & nonnulla ex iis, quæ mixti sunt imperii. Sed rectius existimat STRYKIUS *l. c. §. 7.* illam bassam jurisdictionem, comprehendere omnia, quæ sunt mixti imperii, tum pauca quæ sunt meri imperii, quo leviorum delictorum coercitio referenda est. Nec regerere potest CARPZOVIVS, tali ratione aliquid deesse bassæ jurisdictioni, quod mixto imperio concessum fuit, cum habeat potestatem cognoscendi, exequendi & contumaces puniendi. Cumque jure Romano nullum detur crimen mixti imperii, nec huic ullum puniendi jus annexum sit, nisi quatenus vindictam in contumaces ceu executionem jurisdictionis continet; nihilominus CARPZOVIVS *d. l. qu. 109. n. 29* statuens, crimina quæ de jure civili mixti sunt imperii, & multa pecuniaria vel carceris pœna coercentur, pro ratione & æqualitate delicti vel ad superiorem vel inferiorem jurisdictionem referri debere.

Thef. XXI.

Venit hic quæstio inter doctores controversa executiunda: quænam jurisdictio intelligenda, concessa simpliciter in investitura jurisdictione. Complures putant jurisdictionem altam intelligi debere, quia juxta logicos indefinitum æquipollet universali, & beneficia principum latisime interpretanda sint *l. 3. ff. de Constit. princ.* ac denique sibi imputare debeat princeps, quod legem contractus non apertius dixerit *l. 39. ff. de pact.* At contrarium sentiunt alii, & subgenera-

nera-

nerali jurisdictionis concessione tantum inferiorem jurisdictionem contineri volunt, sed meo judicio hic bene docet, qui bene distinguit, & casus separat. Aut enim alta seu superior jurisdictio jam antea feudo eo cohæsit vel non. Priori casu indeterminata concessio ejusdem feudi, mit denen Gerichten, involvit quoque superiorem, jura enim rei semel cohærentia, successori quoque concessa censentur, nisi hæc sint postea adempta. Casu vero posteriori, indefinita illa concessio tantum de inferiore jurisdictione explicanda est. Indefinita siquidem propositio non semper æquipollet universali, & ea, quæ specialem expressionem desiderant in generalem concessionem non veniunt. STRYKIUS *usu mod. ff. h. t. §. 13. & Exam Jur. feud. C. 8. q. 24.*

Thef. XXII.

Quævis vero Jurisdictio tam alta quam bassa, si causam efficientem remotam spectes, est a DEO, qui omnem imperii vim constituere dicitur, *Novell. 83. §. 6.* Quod vero ad causam proximam attinet, ex sententia BARTHOLI in *l. 6. de jurisdictione*, omnis jurisdictionis datur vel a lege vel a populo, vel consuetudine. Legem & populum Princeps ad se transtulit, *l. 1. de const. princ. l. 1. cum seq. C. de legit.* Penes quem dicitur esse omnis jurisdictionis, & ab eo velut perenni fonte in reliquos magistratus dimanare, *l. 1. ad leg. jul. de Ambitu.* Unde hodie jurisdictionis regalibus adnumeratur, & tanquam Regale quoddam a principe datur, *2. Feud. ss.* quæ sint Regalia ibi: potestas constituendorum magistratuum ad justitiam expediendam: quæ utraque magistratus creatio olim ad populum, hodie

ad principem pertinet, tanquam summæ majestatis officium præcipuum, §. 4. J. quibus modis jus patr. potest solv. Novell. 8. cap. 8. vers. qui enim non diligit, Nov. 70. Nov. 81. in præfat.

Thes. XXIII.

Modi quibus jurisdictio acquiritur, sunt concessio, præscriptio & consuetudo. Acquiritur jurisdictio concessione principis, & quidem ordinariam dat in vim legis l. 1. §. cum urbem ff. de offic. præf. urb. Nonnunquam domini ratione per investituram, qui modus acquirendi hodie est usitatissimus, nonnunquam in vim privilegii, qualem habent Rectores Academicarum ex Authent. hab. C. ne fil. pro patre. Ventilatur hic quæstio inter Doctores: an jurisdictio à superiore concessa censeatur private an cumulative collata? Ubi cum distinctione respondendum est. Si enim jurisdictio per modum simplicis concessionis confertur, e. gr. per privilegium, tunc non private sed cumulative conceditur, & impetrans tale privilegium cum concedente superiore concurrentem habet jurisdictionem. BERLICH part. 1. conclus. 2. n. 1. quando autem per modum investituræ confertur jurisdictio, tunc non cumulative sed private collata censeatur. MENOCH. de præsumt. l. 28. n. 5. HARTMANN. PISTOR. p. 2. q. 45. n. 15.

Thes. XXIV.

Secundus modus acquirendi est præscriptio. Ubi valet regula: Quantum possessum tantum præscriptum l. 1. §. 5. de itin. & act. priv. Is enim qui uno utitur jurisdictionis actu, videtur uti omnibus actibus, qui possunt

sunt

sunt sub ea specie jurisdictionis comprehendi. Jurisdictio cum territorio considerata instar rei immobilis decem annis inter præsentes, & viginti inter absentes præscribitur. Jurisdictio vero sola citra territorium ut res incorporalis triginta vel 40, annis cum titulo & bona fide *l. fin. C. de præscript. long. temp.* Quodsi sine titulo quis sibi velit arrogare jurisdictionem, immoriale tempus requiritur, quod vice tituli est, *l. hoc jure 3. §. ductus ff. de aqua quotid. æstiv.* Bonam fidem maxime requirunt Doctores, quando de decennii præscriptione agitur, PETR. GREGOR. THOLOS. *lib. 47. syntagm. c. 22. n. 30.* Cumque præscriptio æquiparetur pacto sive contractui, jurisdictionis per præscriptionem acquisita non cumulative sed private acquisita censetur, MUSCORN. *de jurisdict. n. 124.* Quamvis vero adhuc dubium sit, an imperium merum jure civili etiam tali præscriptione acquiri possit: quoniam enim non poterit alienari ergo nec usucapi *l. 2. C. de usucap. pro cmt.* & usucapio sub alienatione continetur *l. 28. de verb. sign.* Doctores tamen jurisdictionem criminalem hodie præscriptione acquiri posse autumant, dummodo tantum temporis adhibeatur, cujus non extat memoria, quia illud eandem vim habet, quam specialis alicujus juris concessio *L. 3. §. 4. de aqua quotid. & æstiv.* MINSINGER *Cent. 1. obs. 20. & cent. 5. obs. 29. n. 13.* BOCER. *de Regal. c. 2. n. 90.*

Thes. XXV.

Denique acquiritur etiam Jurisdictio consuetudine *Gail. 1. obs. 47. n. 14.* Differunt enim præscriptio at consuetudo. Consuetudo siquidem non requirit titulum,

tulum, aliquando tamen præscriptio. Consuetudo aliquando tollitur per principem, non vero præscriptio. GÆDEN. *consil.* 39 n. 39. Sed quamvis hæc jure civili ita se habeant; HAHN. ad WESENBECK. *tit. de Jurisd.* n. 9. Tamen dicere non dubitat, hodie consuetudine Jurisdictionem non acquiri.

Thes. XXVI.

Subiectum jurisdictionis inter alios magistratus est etiam Rector Magnificus. An vero illi ex Avthent. habita ne filius pro patre jurisdictio competat criminalis, paucis dispiciam. Multis affirmativa placet, cum avthent. dicat, scholares ob delictum vel debitum esse coram Rectore vel Episcopo conveniendos & beneficia principum plenissimam interpretationem recipiant *l. 3. ff. de Constit. princ* Inprimis cum de criminibus clericorum ecclesiasticus judex cognoscat *C. clerici X. de Jud.* Sed aliis negativa sententia verior videtur, quod sc. Rector magnificus vi illius Avthenticæ non gaudeat Jurisdictione criminali in scholares. Et profecto, quibus non est specialiter datum ut de criminibus cognoscant, illis non competit Jurisdictio criminalis *l. 1. ff. de off. ejus, cui mand. est jurisdict.* Præterea dicta constitutio prohibet litem intendi Scholaribus apud alios judices, quam Rectorem aut Episcopum. Litis autem appellatione actio tantum venit *l. litis 36. de verb. signif. l. 1. §. 1. de test.* non etiam accusatio criminum, de qua dicitur *in pr. Instit. de publ. jud.* quod nihil quicquam commune cum actionibus habeat. Et cum ibi dicitur, quod coram Rectore vel Episcopo scholaris conveniri debeat, intel-



intelligendum hoc est in causis civilibus. Nam Re-  
ctor & professores sunt corpus ecclesiasticum, teste  
SICHARDO in *diſt. arth. n. 23.* clerici autem de san-  
guine cognoscere nequeunt *C. clericis & ſententiam X.*  
*ne cleric. vel min. ſec. neg.* Complures tamen Univer-  
ſitates v. g. Oxoniensis, Pariſienſis, Ingolſtadienſis, Tu-  
bingenſis, Erffurthenſis & Heidelbergenſis juridi-  
ctione criminali gaudent. Conf. ANTONII MAT-  
THÆI *pecul. Diſp. ad quaſt. utrum Rectoribus Acad. ex*  
*arth. hab. C. ne fil. pro patr. compet. mer. imper.*

Theſ. XXVII.

Uti objectum altæ jurisdictionis conſtituunt deli-  
cta in ſpecie graviora, ita jurisdictionis baſſæ materi-  
am circa quam exhauriunt civiles cauſæ & delicta le-  
viora. Delicta autem ſeu crimina alia ſunt vel pu-  
blica, tam ordinaria, quam extraordinaria, vel privata  
*l. 3. ff. de Jurisdic.* Quamvis autem; ut jurisdic-  
tio criminalis in delinquente locum inveniat, alias requi-  
ratur delictum ex proæreſi perpetratum, in bruta ta-  
men rationis expertia etiam illa exercetur. Sic Gen.  
IX. 9. DEUS inquit: Sanguinem animarum veſtra-  
rum requiram de manu cunctarum beſtiarum. E-  
xodi quoque XXI, 28. bovi cornupetæ pœna ſtatuta eſt,  
quod debeat lapidibus obrui. Jure Canonico in cri-  
mine ſodomix abolitio brutorum expreſſe injuncta  
eſt in *C. mulier 4. C. 15. qu. 1. & ſecund. conſtit. crim. Caroli.*  
*V. art. 116.* homo & brutum pœna ignis plectuntur.  
Licet itaque bruta formaliter non peccent, nullæque  
D leges

leges illis datæ sint ; ob detestationem tamen flagitii, ad quod concurrerunt, & ob hominis, cujus mortem maturarunt, <sup>ἐξ ὧν</sup> poena afficiuntur. FROMANNI JCT. Tubingens. *dissert. de mero imperio in bruta.*

Thef. XXIX.

Quomodo utraque jurisdictio tam alta quam bassa rite exerceri & institui debeat, quidam ex professo docuerunt ; & omnino illi conferri merentur, qui de processu civili & criminali commentati sunt, inter quos familiam ducit & utramque paginam facit JAC. FRIDER. LUDOVICI, Professor quondam Halensis, nunc Giesensis longe celeberrimus.

Thef. XXIX.

Utraque nostra jurisdictio hunc in finem introducta est, ut pax & tranquillitas reipublicæ conservetur *conf. l. 14. C. de jud. & cal. & l. 1716. de Reg. jur.* Rectissime enim dixit Hipponensium præsul AUGUSTINUS *de civit. Dei c. 4.* remota justitia nil esse regna, quam magna latrocinia. Et hac sublata, quo majores essent urbes, eo majora & frequentiora in iis regnarent delicta. Hæc vero, ubi riget, facit, ut suum cuique reddatur, honeste vivatur, & nemo lædatur, *§. 3. Inst. de iust. & jur.* qui secus faciunt, dum puniuntur, non solum ipsi emendantur, cum nulla ratio magis persuadeat improbos, quam fustis - sed & alii eorum exemplo deterriti deliquunt minus, ut ait JC. *in l. 6. §. 1. ff. de pæn.* adeoque maxime reipublicæ interest

terest, ne delicta maneant impunita *l. 18. §. i. de Jud. l. 51. in fin. ad l. Aquil. l. 70. in fin. de fidejuss. l. 20. de pæn.*

Thef. XXX.

Li autem, qui alta & bassa jurisdictione gaudent, cauti & circumspecti esse debent. Quod contingit ob nimiam sævitiam in subditos & jurisdictionis abusum, si scilicet is, qui jurisdictionem habet, suæ jurisdictioni subjectis administrationem justitiæ denegat, eamque recusat & negligit *GAIL. 1. obs. 17. n. 2. & de pace publ. 2. n. 22.* Si nimium sævit in reos, illorum defensiones non admittit, & nihil nisi sanguinem fitit. Ob istiusmodi crudelitatem jurisdictio auferri potest *l. 1. ult. C. de emendat. serv l. ult. C. quemadmodum civil. muner. ind. arg. C. in quibusdam 12. X. de pænis & §. ult. Inst. de his, qui sunt sui, vel alien. Jur. addatur PHILIPP in usu pract. Instit. Eclog. 43.*

Thef. XXXI.

Præterea non usu amittitur jurisdictio in primis criminalis, quando nimirum exercendi jurisdictionis criminalis data occasione illa intermittitur; vel quod ob metum impensarum quis negligat, territorium malis hominibus purgare *l. 13. pr. de off. præf. vel accedente alterius prohibitione, vel temporis spatio, quantum ad præscriptionem requiritur, effluxo.* Non usum enim instar præscriptionis se habere, & ejus regulas ordinarie sequi, docet *MEVIUS, p. 2. decis.*

*l. 12.*

1. 2. 3. Non usus præsupponit occasionem usus. Si ergo vel per XXXX. annos nullus actus Jurisdictionis criminalis ex defectu personæ delinquentis fuerit exercitus, obveniente casu ad exercitium ejus redire licet. GAIL. *lib. 2. obs. 60. n. 6.* CARPZOV. *p. 2. c. 3. def. 23. n. 7.* Etiam si quoque furcæ diu sint collapsæ, earum loco novas erigendi competit facultas, neque ex hoc casu privatio jurisdictionis metuenda est. GAIL. *dict. loc. n. 6.*

Et hæc sunt, quæ ex difficili & controversa de jurisdictione alta & bassa materia delibare volui. Fateor, me prolixius hoc argumentum pertractare potuisse, quod etiam constitueram, nisi varia negotia mihi in præsentī incumbētia calamum abjicere coegissent. Hæc ergo sufficiant. Et pro concessa gratia DEO sit laus, honor & gloria in seculorum secula!

FINIS.

